

In tribus equidem superioribus, medius motus uniuscuiusq; eorum in die una auferatur à Solis medio cursu diei unius, remanebit motus argumenti planetæ in uno die, inferiorum autem duorum medius motus unius diei de proprijs tabulis quaeratur.

Argumenta planetarum in una die.

Sig.	Gra.	Minu.	Secun.	Ad secun. reductus.	
0	0	57	8	3428	Saturni
0	0	54	9	3249	Iouis
0	0	27	42	1662	Martis
0	0	36	59	2219	Veneris
0	3	6	24	11184	Mercurij.

Ortum & occasum, apparitionem, occultationemq; planetarum sub radijs Solis cognoscere.

Propositio XIX.



Venus & Mercurius ob sui motus uarietatem inuoluuntur circa Solem, & habent se ad Solem quatuor modis. Nam cum fuerit argumentum Veneris æquatum ab uno gradu inclusiue, in 4 sig. 17 gra. id est, 137 gra. erit in suo ortu uespertino, & uidebitur post occasum Solis super Horizontem in occidente. Et tunc etiã est Sole uelocior. Et à 4. sig. 17 gra. exclusiue usq; in 6 sig. integra, id est, 180 gra. erit in occasu suo uespertino. Tardat em̄ tunc appropinquans Soli, cõsequiturq; ipsum atq; præterit. A 6 sig. aut in 17 sig. & 13 gra. hoc est 223 gra. erit in ortu matutino, eò quod est Sole tardior. Et à 7 sig. 13 gra. exclusiue usq; in 12 sig. integra, erit in occasu matutino uelocior Sole, Mercurij uero argumentum æquatum currens ab 1 gra. inclusiue, usq; in 3 sig. integra, & 22 gra. id est, 112 gra. oritur uespere. Et à 3 sig. 22 gra. exclusiue, usq; in 6 sig. hoc est, 160 gra. erit in occasu uespertino. Et à 6 sig. exclusiue, usq; ad 8 sig. 8 gra. id est, 248 gra. oritur mane. Et ab 8 sig. & 8 gra. exclusiue in 12 sig. id est, ad 360 gra. occidit mane. Velocitas autem & tarditas motus eius considerantur, sicut in Venere. Eorum autem prima occidentalis apparitio erit, cum eorum cuiuslibet argumentum fuerit ferè 40 gra. & uocatur uespertinalis. Quod si fuerit 11 sig. 10 gra. hoc est, 340 gra. erit eorum prima orientalis occultatio matutinalis. Si autem fuerit 3 signorũ. & 10 gra. hoc est 100 gra. erit eorũ occultatio uespertinalis. Et cũ fuerit ferè 6 sig. 20 gra. id est, 200 gra. erit eorum prima matutina apparitio. Trium autem superiorum ortum & occasum, hoc pacto inuenies. Argumentum eorum æquatum considera, quod si fuerit ab 1 grad. inclusiue, usq; in finem 6 sig. erunt in ortu matutino. A 6 sig. uero exclusiue, usq; ad 12 sig. in occasu erunt uespertino. Quod si scire uolueris ortum cuiusq; superiorum ante Solis ortum mane apparens, quando scilicet prætermisus est à Sole per 20 gra. exiens de sub radijs Solis inæcoeperit apparere. Considerandũ argumentum eius æquatum fuerit prope, 20 gra. erit apparere incipiens de subradijs Solis. Occultari autem incipiet atq; tegi, cũ fuerit idem argumentum prope 11 sig. 10 gra. hoc ualet in resolutis 340 gra.

Vtrum planeta sit apparens aut occultus sub radijs Solis cognoscere. Vbi sciendum quòd Venus & Mercurius mane & uespere oriri & occidere solent, quod si scire præelegeris, habeas primo eius locum æquatum, similiter & Solis ad idem tempus, & quæ sit utriusq; differentia loci, & cuius sit differentia. Solis scilicet, an planetæ. Cuius enim locus plus habuerit in gradibus & minutis, illius erit & differentia